

Tractatus de lapide philosophico

[Page 21]

Tractatus D. Thomae de Aquino
ordinis praedicatorum de lapide philosophico[Page 22]

CAPUT I

De corporibus supercaelestibus

Aristoteles in primo meteororum, ait quod pulcrum et laudabile sit investigare causam inctionis causarum. Sapientes enim videntes effectum rerum scrutantur causas. Nos autem videmus corpora coelestia agere in elementa, et ex potentia materiae unius elementi, utpote ex materia aquae, educere formam aeris et ignis.

Omne enim agens natura, agit ut sibi simile educat, ut ignis agit in lignum et educit ignem, et loquor hic de agentibus naturalibus principalibus. Videntur enim Corpora supercaelestia non sine elementi sive elementalibus formae materia esse, et maxime quia ad sensum videmus sphaeram planetarum simplicioris fore naturae, quam ipsi planetae, et planetas crassiora esse corpora et compositiora. Sed ad evidentiam istius veritatis, non secundum quod probavi, de influentiis rerum naturalium.

Et hoc optime Rogerius exponit: Omne agens naturale per similitudinem suam agit, immittendo similitudinem illam in passum, quae quidem similitudo non est diversa ab agente in specie, utpote si stупpa ponatur iuxta ignem, ita quod non iungatur igni, ignis sicut alia agentia multiplicabit speciem suam per medium, quae species multiplicabitur, et recipietur in stупpa per actionem ignis naturalem continuam et aptitudinem passibilitatis stупpae, vigorabitur in ea species quousque; sit in completo actu ignis, propter quod patet, quod similitudo ignis non erat diversa ab igne in specie.

Sed quaedam res sunt valde activae sua actione specifica, ita quod possunt educere per similitudinem suam, conformando et multiplicando similia omnino sicut ignis. Alia vero sunt, quae non possunt sibi simile omnino actu educere in subiectum specie sicut homo. Non enim homo posset similitudinem quae est in medio tantum conformare quod fiat in actu homo, quia homo aliis actionibus est occupatus.

Unde secundum quod probat Rogerius in libro De Influentiis, si homo haberet ita fortem actionem in similitudinem suam, sicut ignis, non est dubium quin illa species fieret verus homo,[Page 24]

unde non potest dici, quod illa similitudo hominis sit omniilo non homo, quia ipse ponit eam sub specie. Cum ergo corpora coelestia agant in elementis agunt per similitudinem suam. Cum ergo educant aliquid eis simile, et quasi eiusdem speciei, igitur cum educant ab elemento elementum, et elementis res elementatas, sequitur de necessitate quod habeant ipsi aliquid de elementis. Et ut plenius videas, cogita hoc in sole, qui educit ignem a corpore urinalis pleni aquae et a corpore crystallo sphaerico. Unde scire debes, quod licet agens, secundum quod probatum est in libro De Influentiis, multiplicat similitudinem suam per lineam perpendicularem rectam et fortissimam, sicut patet in stупpa et igne, quae primo iunguntur in puncto illius lineae consideratae perpendiculariter. Cum enim urinale plenum aquae vel crystallus ponitur ad solem, radii solares qui sunt eorum similitudo, sicut patet si apponatur speculum, quod videbitur ibi sol multiplicari per lineam perpendicularem rectam, quae transiens totum corpus non frangitur in aqua, propter fortitudinem suae actionis, et per lineas rectas non perpendiculares, aut quae franguntur in corpore urinalis, fiunt obliquae in aqua et transeunt ad aliam partem, et coadunantur in puncto lineae perpendicularis. Ergo sol habet in se naturam igneam, hoc autem in speculis comburentibus. Pono enim fieri speculum talis compositionis, depositionis, et

formae de chalibe politissimo, quod tota una linea fiat combustibilis, ita quod appositum villae vel civitati vel loco alicui comburat eum incessanter. Sic dicit Athan in libro De Speculis Comburentibus. Propter quod manifestum est, solem et alia corpora supercoelestia non sine elementalī materia esse, nec propter hoc corruptibilia, nec gravia nec levia. Unde distinguendum est de elementis, quia quaedam sunt purissima, simplicia, non habentia virtutem transmutativam unum in reliquum, quia materia eorum contenta est sua forma, et ista elementa possunt esse corpora supercoelestia: nam ponimus ad literam aquam super firmamentum, et coelum aqueum sive crystallinum. Similiter possumus dicere de aliis elementis, et ab istis elementis, corpora supercoelestia esse composita per virtutem divinam aut intelligentiae regentis ipsam. Ab elementis istis non[Page 26]

potest generari gravitas aut levitas, ut dicatur terra illa gravis vel ponderosa, quia solum inest terrae illi crassae et ponderosae, et quasi elementariae. Generantur tamen colores in corporibus supercoelestibus ab ipsis elementis.

Cum enim corpora supercoelestia quasi sint deaurata, quasi ex hoc scintillant ex radio percutiente ipsa, sicut scutum deauratum scintillat cum percutitur a sole. Sic ponit Astrologus credendo causam de scintillatione stellarum. Et quia talis color sive deauratio habet generari. Sic Isaac probat et Rogerius in libro De Sensu, ex aliquibus qualitatibus elementatibus, oportet in ipsis naturam elementalem fore. Sed quia illa elementa purissima sunt in suis naturis, et nonnullis accidentibus immixta, oportet quod in ipsis corporibus sunt corporaliter vel proportionaliter, quod nunquam possint a reliquo separari.

Nec de hoc mireris, quia ego per artificium natura cooperante separavi a quibusdam corporibus inferioribus quatuor elementa, ita ut singula haberem ad partem, scilicet aquam, ignem et terram, et quaelibet per se depuravi accidentibus in quantum potui quadam operatione secreta, tandem depurata coniunxi et venit mihi quaedam admirabilis res, quae a nullo istorum etiam inferiorum elementorum subiugatur. Nam si semper staret ad ignem, nunquam combureretur, et nunquam transmutaretur. Non ergo mireris, si corpora supercoelestia incorruptibilia sunt, quantumcunque sunt ab elementis confecta. Non igitur dubium, naturam illam dictam multum multicipare corporis coelestis. Unde dicit Hermogenes qui triplex fuit in Philosophia: De eo aere terra cum ad perfectionem pervenissem, fuit mihi gaudium, quale nunquam fuit, videnti quintam essentiam sine elementalī materia, ut infra dicemus.

Plus habet de potentia pugillus ignis, quam centum aeris forte, propter quod unus pugillus ignis forte intrabit mille terrae. Pondera autem istorum elementorum quomodo haberent se in mixta ignoramus. Per artificium tamen natura cooperante vidi, quod cum separassem quatuor elementa a corporibus quibusdam, et quodlibet per se depurassem, in coniunctione ipsorum ponebam aequale pondus aeris, aquae et terrae.

De igne vero ponebam sextam decimam partem et licet ista confectio sit ex elementis composita, tamen habet magis naturam igneam quam alterius elementi. Nam projecta una parte super mille argenti vivi, sensimus quod coagulabant ipsum, et rubrum efficiebant, propter quod merito apparet illam naturam habere aliquid de natura corporum coelestium, nam in transmutatione habet se quasi per modum formae vel agentis potentissimi.[Page 28]

CAPUT II

De corporibus inferioribus, et de esse et essentia mineralium et primo de lapidibus

Nunc vero de corporibus inferioribus tractandum est.

Sed quoniam haec dividuntur in mineralibus, plantis, et animalibus, ideo de esse et essentia Mineralium pertractamus.

Mineralia dividuntur in lapides et metalla: esse ergo est eadem ratione in istis sicut in aliis creaturis excepto quod esse essentiae educitur in istis ad actum suppositi, et plures transmutationes quam in elementis vel corporibus supercoelestibus, nam materia eorum est plurimis formis composita: Materia autem lapidum est aqua, et immixta et grossa, sive habens multum de terreatate vel parum secundum puritatem lapidis.

Unde secundum quod dicit Aristoteles in libro Meteororum (alii tamen capitulum putant esse Avicennae) terra pura lapis non sit, sed potius terra aquea, sicut videmus generari lapides in

fluminibus, salem ex aqua salsa, quae habet multum de terrestreitate, et lapidem per calorem solis et ignis.

Est autem materia lapidis aqua grossa, agens autem calor et frigus congelans eam aquam, et essentiam lapidis in actum deducens.

Natura enim lapidis reperitur in plantis, in animalibus, quos quidem lapides non sine magna virtute consideres: alii namque ipsorum congelantur in animalibus virtute caliditatis et in multis aliis virtuosus lapidibus credens virtuosiores esse lapides; qui procedunt ex animalibus, quam alios.

Alii vero congelantur virtute minerali cooperante natura. Nam sicut dicit Aristoteles, quidam faciunt quandam aquam ex duabus aquis confectam, quam lac virginis appellant, et coagulant ipsum in lapide. Ita autem dicitur fieri ex lythargyrio dissoluto in aceto et aqua salis Alkali, cum quaelibet aquarum istarum sit valde clara, ambae coniunctae fiunt immediate quodam affectu minerali una aqua spissa et alba sicut lac.

Cum ista ergo imbibunt quod coagulare volunt in lapidem et coagulatur, utpote si calx argenti vel alterius corporis huiusmodi[Page 30]

aqua imbuatur, postea in Kimia ad lentum ignem ponatur, fiet lapis, habet enim illud lac naturam coagulandi calces in lapides.

Videmus etiam ex sanguine, ovo, et capillo et cerebro et aliis partibus animalium fieri lapides mirabilis efficaciae et virtutis.

Verbi gratia de sanguine: accipiebatur sanguinis humanus, et putrifiebat in fimo calido, postea ponebatur in destillatorio, et destillabatur aqua candida, ad modum lactis, post ea augmentabatur ignis, et oleum destillabatur, postea faeces quae remanebant in destillatorio rectificabantur ut albefierent ut nix, et affundebamus eius oleum, et fiebat lapis clarus et rubeus mirabilis efficaciae et virtutis, ut valeret fluxum sanguinis stringere, et multas infirmitates expellere. A plantis etiam extraximus aquas, sic videlicet, comburebamus plantas in furno calcinationis, praeterea convertebamus calcem in aquam, et destillabamus et coagulabamus et fiet lapis ille optimae virtutis et efficaciae secundum virtutem plantae et diversitatem.

Quidam etiam faciunt lapides per artificium, ut omnino videantur in omni probatione lapidum, lapidibus similes naturalibus, utpote faciunt hyacinthum similem hyacintho naturali, et saphirum similem alii, qui quidem modus generalis est.

Dicunt enim quod omnium lapidum pretiosorum materia est crystallus, quae est aqua parum habens terrestreitatis coagulata per actionem fortioris frigoris. Molunt enim crystallum super marmor, et imbibunt quibusdam aquis acutis, clarissimis dissolventibus sua acuitate multoties molendo et desiccando, ut fiant quasi una natura, postea ponunt eam confectionem sub fimo calido, et ibi ad tempus convertitur in aquam, quam aquam destillant, ut clarificetur, et partes subtilientur.

Postea habent aliam aquam rubeam confectam ex urina puerorum et vitriolo calcinato rubeo. Similiter multoties destillant et coniungunt ambas aquas secundum pondera, et ponunt in fimo ut melius coniungantur, et simul destillant, et postea ad lentum ignem in Kymia congelant, et sit lapis omnino similis Hyacintho: et quando volunt facere Saphirum, habent secundam aquam factam cum urina et Azielmo (al. Azurino) et sic de aliis secundum diversitatem colorum, ex quibus omnibus patet naturam lapidum esse aquam: Agens autem in illam naturam esse calorem vel frigus, ut sit scilicet calor tenuis vel frigus intensissimum, quae educunt ab ista materia formam lapidis in aquam suppositam vel sepultam. In lapidibus autem tria videmus sicut in aliis rebus, scilicet substantiam, virtutem et operationem. Habemus[Page 32]

iudicare de virtutibus per operationes secretas efficacissimas et occultas in quibusdam lapidibus, sicut sunt operationes naturae et corporum supercoelestium.

Non enim est dubium quin habeant aliquid de virtute occulta corporum supercoelestium, et si de virtute aliquid et substantia habent, et non dicunt quod de substantia stellarum sint compositi, sed dicunt quod habent aliquid supra virtutes istorum quatuor elementorum, ut aliqui lapides participant aliquid de natura stellarum, sive corporum supercoelestium, secundum quod tetigi in tractatu de corporibus supercoelestibus. Quia separavi a quibusdam corporibus quatuor elementa, depuravi, et depurata coniunxi, venit mihi lapis tantae efficaciae et virtutis, ut esset natura mirabilis, contra quem non habent potestatem elementa grossa inferiora, de quo Hermogenes (quem Aristoteles vocat patrem,

qui triplex fuit in philosophia, et perfectus omnino quoad substantiam scientiarum et virtutis earum et operationis earum) dicit: fuit mihi gaudium quale nunquam fuerat, videnti quintam essentiam sine elementalī natura de virtutibus inferioribus. Propter quod evidenter apparet, quod aliqui lapides aliquid habent de quinta essentia, et plane et manifeste est notum, ratio est operantis hanc hodiernam artem.[Page 34]

CAPUT III

De esse et essentia metallorum, et primo de eorum esse et essentia seu compositione naturali et esse suppositi

Esse suppositi metallorum educitur a materia sui planetae et naturarum, similiter et per artificium. Ergo cum sint septem metalla quodlibet metallum educitur a suo planeta, videlicet Aurum a Sole, et vocatur Sol, Argentum a Luna, Ferrum a Marte, Argentum vivum a Mercurio, Stannum a Jove, Plumbum a Saturno, Cuprum et aes a Venere, et nominibus quorum planetarum nuncupantur.

De materia substantiali

Materia substantialis omnium metallorum est argentum vivum, unde in aliquibus metallis est coagulatum debili congelatione, et in aliquibus forti. Ita sit gradus in metallis secundum gradus actionis planetarum et sulphuris omnino puri congelati Argenti vivi, et illa metalla in quibus parum congelatum vel terrestre, habent se per modum materiae, et in potentia per comparisonem seu oppositionem ad alia metalla, ut puta plumbum est argentum vivum terrestre parum congelatum, ex subtili sulphure et pauco, et quia actio sui planetae est distans et debilis, habet se in potentia ad stannum, ad cuprum, ad ferrum, ad argentum, ad aurum.

Stannum vero est argentum vivum clarum coagulatum parum a sulphure grosso et non puro, propter quod se habet in potentia ad cuprum, ferrum, argentum et aurum. Ferrum vero est argentum vivum grossum terrestre, ex sulphure terrestri valde grosso, ex actione sui planetae fortiter coagulatum, et ideo se habet in potentia ad cuprum, argentum et aurum. Cuprum autem est coagulatum ex sulphure multo et argento vivo mediocriter grosso, cooperante suo planeta, propterea se habet in potentia ad argentum et aurum. Argentum quoque est ex sulphure albo, claro, subtili, non adurente, et ex argento vivo subtili coagulato limido et claro, cooperante suo planeta Luna, et ideo solum se habet in potentia ad aurum.

Aurum vero est perfectius omnibus metallis, et sit ex sulphure rubeo, claro, subtili, non adurente et ex argento vivo subtili et[Page 36]

claro, cooperante sole fortiter congelato, ita ut etiam a sulphure cremari non possit, a quo omnia alia metalla cremantur. Patet ergo quod ex omnibus his metallis potest fieri aurum, et ex omnibus praeter aurum potest fieri argentum, et hoc patet in mineris argenti et auri, a quibus etiam alia metalla extrahuntur, et ibi reperiuntur coniuncta cum Marchasita auri et argenti. Ex quo nulli dubium est, quod si permetterentur in actione naturae ad tempus in aurum et argentum converterentur. Utrum autem cum ex aliis metallis sit aurum, destruantur substantiales formae aliorum metallorum, et quomodo hoc fiat, tractabimus in tractatu de esse et essentia rerum sensibilium, ibi tractabitur generaliter quod sit veritas.[Page 38]

CAPUT IV

De esse et transmutatione metallorum, et primo de ea qua sit per artificium

Transmutatio etiam metallorum sit et per artificium, ut esse unius metalli in esse alterius transmutetur: Sane potest illa potentia deduci in actum, quamvis Aristoteles vel Avicenna dicant: Sciant artifices Alchemiae nunquam species vere transmutari posse, sed postea sequitur, nisi fiat reductio in primam materiam: Materia autem prima secundum quod dictum est omnium metallorum propinqua est argentum vivum, sed materia est remota aqua.

Sed cum haec reductio sit multum coniuncta naturae, imo quasi utilis, natura per artificium adiuvatur, et ex hoc difficilis, et ex huiusmodi difficultate multi stulti facti sunt, per hanc scientiam expendentes iuventutem suam, et facultates in vanum, seducentes postea reges et principes, et hoc adeo ut reges desperando de

veritate huius scientiae eam non perquirant nec scire appetant, tot enim libri erronei, totque fatuitates, totque operationem diversitates ab istis ignorantibus scriptae sunt, ut cum omnia tua operando per ipsa expenderis, de scientiae desperando effectum minime consequaris.

Ego vero omnia considerans, et quomodo reges habuerunt operationes subtiles, et vis aut nunquam potuerunt ad perfectionem pervenire, credidi hanc scientiam nihil fore.

Sed ad me reversus, consideravi libros Aristotelis seu Avicennae in secretis secretorum, et inveni eos vacuos ratione, quantumcunque factum sive scientiam confuse et in aenigmate aliquantulum declarant. Consideravi libros contradicentium eis, et inveni eorum alienationes similes: consideravi et principia naturalia, et inveni per ipsa posse fieri. Vidi namque argentum vivum penetrare et transire alia metalla, ut si contingas aes argento vivo mixto cum aliquanto de sanguine et argilla, penetrabit eum exterius et interius, et efficiet ipsum album, quamvis ille color non duret.

Iam ergo argentum vivum habet mixtionem cum corporibus et penetrationem. Consideravi ergo quid si retineretur ne evolveret, et esse fixae dispositionis cum corporibus, et faceret quod cuprum et alia corpora, non comburerentur ab aliis, quae comburunt[Page 40]

cuprum et non comburunt argentum quod esset prout argentum et haberet potestatem talem.

Sublimavi igitur argentum vivum multotiens, ita ut efficeretur fixae dispositionis, ut scilicet non evolveret ab igne, quod sublimatum dissolvi in aquam, ut fieret reductio in primam materiam, et ex praedicta aqua calcem argenti et arsenicum sublimatum fixum multotiens imbui, quod totum dissolvi similiter in fimo equido calido, quo dissoluto congelavi et evenit mihi lapis clarus sicut crystallus habens naturam scindendi seu tundendi, penetrandi, et in corporibus retinendi, ita quod si parum huius super multum aeris proieceris, statim ab eo educet formam argenti puri, quo nullum melius reperitur.

Accipiebam autem ut in aurum eum converterem, rubedinem, sulphuris nostri, bulliendo ipsum in aqua acuta super lentum ignem quae aqua efficiebatur rubea, quam destillabam per alembicum, et manebat in fundo cucurbitae rubedo sulphuris pura, quam congelabam cum dicto lapide albo, ita quod efficiebatur rubeus, et parum huius modi super multum aeris proiectum efficiebat aurum purissimum. Iste tamen modus quem ego pono, generalis est et occultus, nec pono eum propter hoc, ut aliquis incipiat operari, nisi forte esset multum perfectus in modis sublimationum, destillationum, et congelationum, nec non in formis vasorum et in quantitate et qualitate ignium. Vidi etiam apud Realgar sublimatum, quantumcunque non fixum super cuprum proiectum dealbat ipsum multum, in tantum, quod si medietatem puri argenti admisceas, habebis bonum argentum, sed tamen non purum, nam ab igne non exit album. Hoc idem facit Auripigmentum sublimatum sed iste modus dictus est transmutare unum metallum in aliud.[Page 42]

CAPUT V

De esse et procuratione novi Solis et Lunae per virtutem Sulphuris extracti a lapide minerali

Est tamen alius modus nobilior transmutandi, scilicet argentum vivum in aurum vel argentum, per virtutem sulphuris rubei et albi, clarissimi, simplicis non adurentis: secundum quod dicit Aristoteles in secretis secretorum, ubi ponit modum valde generalem et confuse, nam illud est absconditum sapientibus, et dixit ad Alexandrum: Divina providentia iuvet te ad celandum propositum, et ad implendum arcanum, propter quod obscure tractabo, nominando res aliquas a quibus educitur talis natura ita potens et nobilis. Librum enim istum non edidi propter vulgares, sed propter perfectos.

Hortor autem ne aliquis praesumat incipere opus, propter haec quae dicenda sunt, nisi sit multum peritus et expertus in principiis naturalibus, et multum discretus in modis destillationis, dissolutionis, et congelationis, et ignibus maxime. Nescit homo qui velit hoc propter avaritiam praeparare, sed cum discretione et diligentia agere. Est ergo quidam lapis mineralis a quo educitur huiusmodi virtus, scilicet, sulphuris, albi vel rubei clari, quod non aduritur, et educitur per separationem quatuor elementorum et depurationem et coniunctionem ipsorum.

De operis mineralis enumeratione

Igitur in nomine Domini accipite de eo libram unam et tritura fortiter super marmor, et imbue cum libra una et media purissimi olei olivarum communis philosophorum, ut fiat sicut pasta, quam pastam pone in sartagine physica super ignem, et totum dissolveretur, et cum videris spumam rubeam ascendentem, depone ab igne, quousque descendat, semper movendo cum spatula ferrea, et cum descenderit, iterum pone super ignem, et hoc toties iterando quousque fiat spissum sicut mel. Postea proice super marmor, et cito congelabitur, et fiet ad modum frustri carnis, aut sicut hepar bene decoctum, quod incide ad modum unguis tui, in frusta, et habeas tantundem de oleo tartari quintae essentiae, et una pone ad ignem in sartagine sua, et ferveat ibi quasi duabus horis.[Page 44]

Postea pone in amphora vitrea lutata luto sapientiae, et iter sic super ignem lentum tribus diebus et tribus noctibus. Postea pone amphoram cum medicina in aqua frigida per tres alios dies, tunc confectionem incide ad modum unguis tui, et pone in cucurbita vitrea, et superpone alembicum, et destilla aquam albam ad modum lactis, et hoc est vere lac virginis, cum aqua destillata fuerit, augmenta ignem, et in aliam amphoram extrahe. Et accipe aerem, et erit sicut aer purus pulcerrimus, quia in se continet ignem; et tunc remanebit terra in fundo cucurbitae nigra, quam calcina in furno calcinationis, quousque fiet alba sicut nix, tunc redeas ad aquam quam destilla septies, quousque lamina cuprea ignita extincta ter, intus et extra dealbetur penitus. Hoc idem fac de aere, hoc est de secunda aqua, in tertia enim destillatione invenies oleum, et totam tincturam sive ignem in fundo cucurbitae. Ideo reduc secundo et tertio et serva oleum: deinde accipe ignem in fundo, qui est quasi sanguis niger et mollis, quem serva et destilla et reserva et examina cum lamina sicut fecisti de aqua, et ecce nunc habes modum separandi elementa quatuor. Sed modum coniungendi fere omnes ignorant. Accipe ergo terram, et super tabulam mundissimam vitream vel marmoream tritura, et da ei ad bibendum de aqua sua quantum ipsa est in pondere, quousque fiat sicut pasta, pone in alembico, et destilla cum igne quo, et ex aqua quae destillatur, iterum illud quod in fundo cucurbitae invenies imbibe, quousque suam aquam totam imbiberit: postea iterum da ei aerem quantum est ad bibendum, eundem ordinem servando sicut cum aqua, et eveniet tibi lapis crystallinus, de quo si parum proieceris super multum argenti vivi, convertet eum in verum argentum, et ista est vis sulphuris albi non urentis, et completur tribus, scilicet terra, aqua et aere. Si autem acceperis septimam decimam partem ignis, et commiscueris cum hiis destillando et imbibendo sicut dictum est, evenit tibi lapis rubeus, clarus, simplex, non adurens, de quo si parum super multum Mercurii proieceris, convertet eum in purissimum solem obrisum. Iste ergo est modus de lapide minerali, ut dictum est.[Page 46]

CAPUT VI

De lapide naturali, animali et plantali huius sexta divisionis vel tractatus

Est et alius lapis, qui secundum Aristotelem est lapis et non lapis. Est etenim mineralis, vegetabilis et animalis rationalis, qui reperitur in omni loco et in omni tempore et apud omnem hominem, quem debes putrefacere sub fimo, et putrefactum pone in cucurbita cum suo alembico, et extrahe elementa, eo modo quo supra, et coniunge, et eveniet tibi lapis minoris efficaciae et virtutis quam superior. Et non mireris quia dixi tibi quod putrefiat sub fimo equino calido, sic debet artifex attentare, ut si panem frumenti sub eo ad novem dies posuerit, efficietur vera caro admixta sanguine, propter quod credo Deum potius elegerit panem frumenti, ut in corpus substantiaretur, quam quicquam aliud, et forte ab isto possunt educi quatuor elementa, et fieri aliquod bonum opus. Ex omnibus ergo dictis patet, ex quibus est compositum, esse actuale suppositum mineralium, et quomodo non educitur per naturam solum, sed etiam per artificium. Benedictus Deus qui talem dedit hominibus potestatem, ut imitator naturae existens, species naturales commutare possit, et quod natura pigra hoc multis temporibus operatur. Ecce alii modi sunt transmutandi metalla quae ponuntur in libris

CAPUT VII

De modo operandi per spiritus

Est etiam modus operandi per spiritus, ad quem sciendum nota quod quatuor sunt spiritus, et dicuntur spiritus, quia evolant ab igne, habent naturam quatuor elementorum, et sunt hi: Sulphur quod habet naturam igneam, Sal Armoniacum, Argentum vivum, quod habet spiritum aqueum, qui vocatur alio nomine servus fugitivus, Auripigmentum seu arsenicum, quod habet Spiritum terreum. Quidam operantur per unum istorum sublimando eum et in aquam convertendo, et destillando, et congelando, et supra cuprum proicendo, et convertit eum ut dicunt. Quidam vero operantur per duo istorum, quidam per tria, quidam vero per omnia quatuor, scilicet quemlibet istorum sublimando per se multoties, quousque sit fixum, postea quodlibet per se destillando, dissolvendo in aquam cum aquis acute dissolventibus multoties imbibendo et iterum simul aquas omnes iungendo, et iterum simul destillando et congelando, habent lapidem album crystallinum, de quo si parum proiecerint super aliquod metallorum, in veram lunam transmutaret. Et tunc quidem dicunt quod ibi sunt quatuor elementa et depurata: quidam alii uno spiritu et cum corporibus et quantumcumque hunc modum non probaverim, naturalis tamen videtur, et vereor et credo quod omnibus quasi ignotus sit, licet Avicenna in epistola sua ad patrem directa, hunc modum aliquantulum tangat. Ego vero cum locum ac tempus habebo, hunc modum probabo.[Page 50]

CAPUT VIII

De assignatione fermentorum Saturni et aliorum

Accipiantur ergo duae partes Saturni si opus fuit ad Solem, et si ad Lunam, Jovis et tertia pars Mercurii, et fiet Amalgama, fiet enim quidam lapis frangibilis quem multotiens super marmor tritura, et imbibendo aceto acerrimo et aqua salis communis optime praeparati, vicissim imbibendo et desiccando, quousque maximam in se contineat aquarum substantiam, tunc ex aqua aluminis istius lamini imbibe quousque fiat sicut pasta mollis et pone ad dissolvendum, et dissolvetur totum in aqua, quam aquam destilla ter vel quater, et congela, et habebis lapidem qui convertet ad Lunam Jovem.[Page 52]

CAPUT IX

De assignatione reductionis ad Jovem, sive de modo operandi ad Solem

Ad Solem vero recipe vitriolum depuratum et calcinatum rubeum, et dissolve in urina puerorum, et destilla totum, et hoc toties fac, quousque aqua sit valde rubea: tunc istam aquam coniunge cum supradicta aqua antequam congeletur, et ambas aquas sub fimo aliquibus diebus pone, ut melius incorporentur, et ambas simul destilla et congela et habebis lapidem rubeum similem hyacintho, de quo si unam partem super septem partes Mercurii proieceris, vel Saturni purgati et firmi, in Solem obrisum vertentur, habet enim quasi naturam fermenti. Reperientur etiam in libris aliae operationes multae quasi infinitae confusae, quae homines deducunt ad errorem, et ad suorum sine utilitate amissionem, et maxime in praeparationibus de quibus prolixum esset narrare.

Ego autem non cupiditate lucri, sed ut viderem oculata fide mirabiles effectus naturae, et causas eorum, non solum generales, sed etiam speciales et immediatissimas, non solum accidentales, sed etiam essentiales conspicerem, istorum multa probavit, et in separatione elementorum a corporibus.

Quod quidem opus est verum et perfectum, tamen tantum laborem et foetorem, ac etiam mei corporis imperfectionem sum perpessus, ut disponerem hoc opus nullo modo nisi necessitate coactus iterum attentare.

De mineralibus haec dicta sufficiant.

FINIS